

suaveolentiam, ac inauditam corporis pulchritudinem; tum quia, sicut flos campi ex solo terrae humore, et coelesti influxu generatur, absque ulla hominis cultura; sic ille ex solo sanguine Virginis humore, divino Spiritu eam foccundante, ac coelestis influente, absque ulla conceptus fuit opera viri. Secundo, quia sicut nihil flore suavis, ac levius; ita Christi iugo nihil suave magis, ac leve excogitari potest, ipso dicente (*Matth. 11*): *Iugum meum suave est, et onus meum leve*. Tertio, quia sicut flores fructus spem nobis praebent; unde flos spei symbolum olim exiit, ut tradit Pierius; ex quo antiqui Romani, ut spem describerent, lilia duo depingebant cum hac subscriptione: *Augusta spes; ita Christus Dominus, de cuius temporis adventu praedictum fuerat (Cant. 2): Flores apparuerunt in terra nostra, humanam carnem assumentes, certam nostrae salutis spem nobis tradidit*. Quarto, quia sicut ex floribus virtute ignis variis morbis melendis salutiferi valde liquores exprimuntur; ita ex sacro Christi corpore, lanceae mucrone percussio, exiit uterque liquor, sanguis, et aqua ad humani generis sordes abstergendas, et peccatorum vulnera sananda. Quinto, quia cum Nazareth interpretetur *flos*, et Maria candidus flos lili sit, quasi *lilium inter spinas*; et tempus etiam conceptus Christi fuerit, quo flores terrae erumpere solent, congruebat quidem ipsam et tiam *florem esse, et floridum vocari*, ut sic florem in flore, de flore inter flores carerentur. Unde Bernardus (*super missus*) Nazareth vocaflorigeram patriam; nobisque ad eorum imitationem, qui Florentiam laudantes cececerunt:

Florida florenti floret Florentia flore.

licebit nunc dicere de Nazareth:

Florida florenti floret pulcherrima flore.

Ultimo tandem, *floris*, ac *floridi* nomen Christo Domino apte adeo congruit, ut spinae quoque coronae illius, et clavi, flores sint suavissimo odore fragrantis, ex quibus devotae mentes, velut apes argumentosae, dulcissimos fauos melliflui amoris elaborant, florida serata contextunt, odoriferisque meditationum myrrae fasciculis, qui inter ubera sua commorentur, sibi conficiunt. Atque hinc colligere licet, quantum honoris, et gloriae Nazareth, Christi in ea facta conceptione, sibi comparaverit: cum enim adeo abieca, et ab omnibus despecta esset, ut Nathanael diceret (*Ioann. 1*): *Namquid a Nazareth potest aliquid boni esse?* tantum ei Christi conceptio nominis splendorem contulit, ut Hieronymus florem Galilaeae illam vocet: immo et Andreas hierosolymitanus episcopus (*ser. de annunc.*), terrestri paradiso illam conferat dicens: *Nazareth Eden hortum aemulata, ipsius Eden conditorum sinu suo complectitur*. Verum mihi videtur Nazarethae merito invidere potuisse paradum terrestrem, cum hic lignum vitae, ibi auctor vitae; hic fons aquae in terram decurrantis, ibi fons aquae salientis in vitam aeternam; hic terrenus Adam, ibi coelestis; hic praevicator, ibi reparator; hic na-

turam humanam inficiens, ibi genus humanum redimens formatus fuerit; hic Maria, ibi Eva; illa obediens haec inobediens; illa virgo prudens, haec fatua; illa humilis, haec superba; illa sobria, haec intemperata; illa ab angelo evangelizata, haec ab angelo decepta; illa mundi salutem consensum praebens, haec eius perditioni consentiens affuit. Quod si, ut Mantuanus poeta dixit (*in Bucolicis*):

Dulcis amor patriae.

et Ovidius (*lib. 1. de Ponto*):

Nescio, qua natale solum dulcedine canctos
Allicit, immemores nec sinit esse sui:

quis non videat magnam Nazareth laudem esse, quod Christus Dominus singulari dilectione prae omnibus aliis urbibus eam, tanquam propriam patriam, adamaverit? Deinde, si ut Aristoteles inquit (*lib. 1. Polit. cap. 1*): *Videmus omnem civitatem esse societatem quandam, et omnem societatem boni alicuius gratia constitutam*; facile inde inferam, Nazareth opulentissimas quasque totius orbis civitates longo intervallo antecellere, cum gratia tantum mysterii, quale incarnationis sacramentum in utero Mariae celebratum esse perhibetur, a Deo optimo maximo structa fuerit, tanquam futura Filii sui chara patria. Quare, si Aristoteles patria ab historiographis, quod tantum produxerit philosophum, nullis encomiis celebratur; et si ob Alexandrum magnum in Macedonia natum, miris illa effertur laudibus; ac tandem si Roma, propter suos Caesares, Scipiones, et Catones, quos tanloque ipsa iactabat, tantum honoris nata est; quid quaeso splendoris, quid honoris, quid immortalis gloriae inelyta Nazareth non nanciscetur, dum Christi, humani generis Redemptoris, legitimam patriam esse, et ab ea Nazareth appellationem mutasse merito gloriari possit? unde d. Matthaes dixit (*e. 2*): *Habitavit in civitate, quae vocatur Nazareth, ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas, quoniam Nazareus vocabitur*: in cuius loci expositionem d. Hieronymus (*sup. Matth.*) ait: *Omnes ecclesiastici quaerunt, et non inveniunt, ubi id scriptum sit*; multos tamen lego, qui id se invenisse putant: nam in primis divus Chrysostomus (*ho. 9. in Matth.*), postquam rei difficultatem ingenuae fassus fuerat, immo ab eius investigatione nos deterruisset, dicens: *Neque in huiusmodi fueris curiosus*; tandem docet, quod tempore captivitalis populi hebraei in terra Aegypti, nonnulla prophetarum volumina, Hebraeorum negligentia, aut Aegyptiorum malitia penitus abolita fuere, in quibus Messias Nazareus nuncupabatur; atque eo respexisse Matthaem, dum ait (*Matth. 2*): *Ut impleretur, quod dictum est per prophetas, quoniam Nazareus vocabitur*. Hanc expositionem acceptant, praeter Chrysostomum, Athanasius (*in fine sui symbol.*), et Euthymius (*super Matth.*). Isidorus (*in annotat. Biblia 3. expositi.*) autem longe diversam viam ingressus, ait: nihil aliud indicasse evangelistam per verba illa: *Dictum est per prophetas*, quam per prophetarum expositores de-

claratur, qui horum arcana suis scholis aperiant. Alii vim facientes in interpretatione huius nominis, Nazareus quod iuxta sententiam d. Hieronymi sanctum significat, dicunt, quod cum omnes prophetae uno ore sanctum vocent Christum Dominum, eiusque sanctimoniam variis modis attestent, evangelista quidem magis ad internum sensum, quam ad externam vocem attendens, verba illa scripsit: *dictum est per prophetas, quoniam Nazareus vocabitur*: fundaturque haec expositio in doctrina sancti Hieronymi, qui (*epist. ad Pammach.*) ait: *Non est factum in Scripturis, quantum ad verba, sed quantum ad substantiam*. Praeter has tamen expositiones, haec, quae sequuntur, nobis magis arident. Quarta expositio sit, quod cum evangelista ait: *dictum est per prophetas*, non refert vaticinium aliquod a prophetis scriptum, sed oraculum prolatum, ut salis indicant verba illa (*Matth. 2*): *Ut adimpleretur, quod dictum est per prophetas*, non dixit: *quod scriptum est*, sed, *quod dictum est*: multa enim huiusmodi habentur per traditionem: unde sicut non omnia, quae Christus dixit, nobis scripta reliquere evangelistae, ita non omnia, quae prophetae locuti sunt, scripturae demandata fuerunt. Quinta expositio plausibilis valde, quam permulti amplectuntur moderni cum Angelo Coelestino (*super Missus est Angelus*), qui ex originali hebraeo huius intelligentiam venari conatur, ait, apud Isaiaam prophetam, Christum Dominum Nazareum vocari; nam ubi latinus interpres vertit: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet*, lectio hebraea habet: *et Nazareus de radice eius crescet*: Matthaes enim hebraeo idiomate sum scripsit evangelium; unde d. Hieronymus (*in Catal. de script. eccles.*) de Matthaes loquens ait: *Ubiunque evangelista veteris Scripturae testimonium utitur, non septuaginta translatorum auctoritatem sequitur, sed hebraeam*; idque exemplificavit opportune satis ad praesens institutum, in verbis illis: *Quoniam Nazareus vocabitur*. Nec mirandum est, quod evangelista affirmet, dictum esse a prophetis, vocandum fore Christum Nazareum, cum tamen solus Isaia cognominis hoc illum compellat, quia, ut observavit divus Augustinus (*lib. 3. de consen. Evang. ad c. 16*), moris est in sacra Scriptura, numerum pluralem pro singulari, et e contra usurpari. Sexta tandem expositio sit, quod in praecitatis locis, quibus Ioseph, et Samson, Nazareth vocantur, id de Christo intelligitur, quem ipsi, tanquam eius typi, adumbrabant: ut enim docuit d. Augustinus, et Leocastrensis (*supra 11. c. Isai.*), quando in sacra Scriptura de aliquo quidpiam dicitur, qui fuit figura Christi Domini, et id cum historiae veritate minime ei convenit, intelligendum est ad literam de Christo: unde, cum in Genesi (*c. 49*) dicitur: *Fiant in capite Ioseph, et in vertice Nazareth inter fratres suos*, id de Ioseph non tam apte intelligi potest, quam de Christo, qui, ut explicat ibi d. Ambrosius, habitavit gratiam capitis, ut in omnes fratres suos fideles eam effunderet; et cum in Deuteronomio (*c. 33*) dicitur: *Benedictio illius, qui apparuit in rubo, venit super caput Ioseph, et super verticem Nazareth*, huiusmodi benedictio lo-

sepho aptari minime potest: quia, ut ibidem adnotarunt divus Ambrosius, et Procopius, quando illa prolata fuit, iam Ioseph obierat: quare reliquam est, ut de Christo intelligenda veniat. Ac tandem, cum Samson Nazareus appellatur (*Num. 6*): *Nazareus vocabitur ab utero*, de Christo debet intelligi; nam, ut constat clare ex *Numerorum 6*, nemo poterat esse Nazareus ab utero matris suae; nam in Nazarenum numero non redigebatur, nisi qui ex voto se consecrabant, et a certis cibis se abstinabant, et ad ostium tabernaculi adducebantur, ac pro eis certa holocaustomata fiebant: id etiam, quod sacer textus (*Ind. 13*) addit, scilicet, quod *Samson erit Nazareus usque ad diem mortis suae*, minime ei convenire poterat, quia revera Nazareth dignitatem, antequam moreretur, amisit, cum caesaries et abrasa fuit, a cuius capillis fortitudo eius dependebat: ac tandem, quia Nazareus non poterat morticinium tangere, Samson autem quamplurimos ex illis, quos interfecit, tetigit. Cum ergo Ioseph, et Samson nominantur Nazareth, non ipsi, sed Christus hoc nomine conestatur. Ceterum, quia *Nazareus*, ut supra dixi, *florem significat*, hinc singularem quandam eilico rationem, ob quam Ioseph, et Samson Christum Dominum praefigurarunt; hi enim duo insignes viri fuerunt, velut flos, qui ut fructus matrescat, oportet ut decidat, et vitam, quam ab arbore mutant, amittant: dum enim hi iuvenes floruerunt, populus eorum de inimicis victoriam non tulit, illis autem deciditibus, et vita functis, populus hebraeus in dies multiplicari coepit, et Philistaei misere perierunt: quia ergo Christus Dominus flos erat de radice Jesse, oportuit, ut decideret, et vitam amitteret, ut fructus nostrae redemptionis matresceret, idcirco conveniissime figuratus fuit per Iosephum, et Samsonem, quos *Nazareus*, vel *floridus*, tanquam Christi typos, vocat sacra Scriptura. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA III.

Circumstantiam loci angelicae salutatio- nis prosequentes, dignitatem sacerrimae domus Lauretanae, in qua Verbum caro factum est, expendimus; atque circumstantias, angelicam legationem concomitantes, commemoramus; nonnullaque de virginibus necessaria clausura tradimus.

Ut his, quae de circumstantia domus angelicae annunciationis mihi dicenda sunt, plenior fides adhibeatur, profiteor, me nihil in homilia hac dicitur, quod ex historiographis, auctoribusque gravissimis non deeeperim: hi autem sunt, Beda (*de loc. sanct. c. 16*), Blondus (*lib. 1. de Ital. illus. cap. 5*), Baptista Mantuanus (*de Laur. aede et eius orig.*), Leander Albertus (*in sua hist.*), eruditissimus Ganisius (*lib. 5. de Desp. Ma. cap. 25*), necnon Hieronymus Angelita Recanatensis reipublicae secretarius.

A venerabili ergo Beda exordiar: haec ille scripsit (*lib. de locis sanctis cap. 16*): Nazareth muros non habet, sed magna aedificia, duasque grandes ecclesias; una est in medio civitatis, super duos fundata caneros, ubi quondam fuerat domus, in qua Dominus nutritus est infans; altera vero est ecclesia, ubi domus erat, in qua angelus ad B. Mariam venit. Apostoli sacram hanc domum ob praecleara ad salutem humani generis in ea consummata mysteria, in orationis domum verterunt, illam solenni more divinis usibus consecrantes; deinde a Christianis in magna veneratione habita fuit, ut qui recte agnovissent, in ea Virgine, natam, nutritam, ab angelo salutata, et a Spiritu sancto obumbratam, Christum, naturalem Dei Filium conceptam, et natum, magna ex parte educeasse; postmodum vero anno a reconciliata divinitate nonagesimo quarto super millem et ducentum, decima die decembris, sub Bonifacio octavo pontifice maximo hoc sacellum a Nazareth civitate, relictis fundamentis avulsam, et elevatum, eo iubente, qui solus fuit mirabilia magna, in cuius potestate eneta sunt postea, angelorum ministerio ad Dalmatiam, seu ad Ilyricos prope oppidum Tersactum, et prope oppidum Flumen, delatum fuit suo, ut olim, caemento, lapideaque structura cohaerens, quatuorque adhuc parietibus constans; deinde illinc abreptam, miro modo super aequora eodem angelico ministerio, primum in memore, mox in colle fratrum, et tandem in via publica collocatum est in agro Piceno, sive, ut Itali loquuntur, Recanatensi, in media silva nobilissimae cuiusdam foeminae, cui nomen erat *Laureta*, a qua domus illa Lauretana appellatur. Rarum sane, ac portentosum miraculum; sed minime incredibile, ut garriant illi duo haeretici, Vergerius libro, quem impudentissime inscripsit: *contra idolum Laureti*: et Ilyricus in centuria mendaciorum papistarum; cum similia portentosa divinum virtutem olim effecisse passim commemorent sacra volumina. Habacuc prophetam ex Palaestina in Babylonem transtulit, ac eundem incolentem suis illico restituit. Rursus angelico ministerio factum est, ut Philippus Christi discipulus velut per aera deportatus, nobili enucho consociaretur; eoque baptizato ad snos in Azotum confestim rediret, longis itinerum spatii brevissimo tempore confectis, ut omnes subitam illam translationem eiusdem hominis admirarentur. Deinde, quid magis prodigiosum, Eliam Thesbiten ex hominum conspectu subito rapti, et curru igneo excipit, et in loca remotissima devehit: ac demum post multa saecula in Palaesthinam reverti, maiestate magna fulgentis in monte Thabor conspici; postquam vero ibi cum Christo de futuro eius excessu collocutus esset, statim rursus evanesce- re? Ne defuerunt, qui cum Gregorio Thaumaturgo tanta fide excelluerint, ut rupes, et montes ingentes oratione sola moverint, atque aliunde transtulerint. Quocirca, cum divinae virtuti nihil quae resistere, et similibus miraculis fertae sint veteres historiae, quas nullas in universum, nisi perfrictae frontis homo, recipere potest, certe non adeo incredibile videri debet, Mariae quodam domunculam Deo sacramtam,

quum male neglecta iaceret, impiis adimplam esse cultoribus, et invisibili quadam virtute ad locum honestiore demigrasse, ubi ad verum, et salutarem christianae gentis usum, et fructum converteretur.

Ceterum, si sacerrimae huius domus miram praestantiam agnoscere cupimus, in mentem quaeso revocemus, in ea reparationis nostrae iactum esse fundamentum, pullulasse legis gratiae exordium, revelatum fuisse divinae mentis arcanum, et factum esse illud immensae charitatis, et supernae dignationis officium, ut Paulus inquit (*Gal. 4.*): *Ubi venit plenitudo temporis: humano generi Deus humana carne indutus apparuit. Quomobrem iudicio meo tanta est loci huius dignitas, talis gloria, tam excelsa maiestas, ut ipsum locis omnibus, quae sub coelo sunt, anteferre non dubitem: nusquam enim alibi magis egregia opera, excellentioraque mysteria divina clementia monstravit in terris. In agro, ut ferunt, Damasceno, de limo terrae homo creatus; hic de purissima Virginei corporis substantia, nulli peccato obnoxia, Deus homo factus est: in terrestri paradiso mulier de viri latere sumpta; hic mulier virgo, naturae ordine mutata, Dei mater effecta est: in arca Noe generis humani servatae reliquiae; hic toti mundo salus est orta: sub quercu Mambre credentium pater Abraham tres angelos vidit, et hospitio suscepit: hic Deus, angelus, et Maria adsunt: Deus autem non in hospitio tantum, sed in utero Virgini in carne nostrae fragilitatis, in unitate personae susceptus; in monte Sina lex Moysi tradita, Dei digito scripta; hic Deus fecit potentiam in brachio suo, et datus est nobis legislator, via, veritas, et vita. Templum illud Salomonis admirabile quidem fuit, et gloriosum, ac Dei praesentia sanctum, ac venerabile; sed ubi quaeso Deus praesens magis unquam fuit, quam isto in loco, qui primum Dei praesentiam corporalem accepit? Arca foederis tabularum receptaculum, legis armarium, quod prophetis manibus attractari non licuit, praecipua servabatur observantia; at in sacello isto non tabulae lapideae, sed ipse legis auctor, et consummator in carne Deus, qui in vento Eliae, in igne Moysi legitur apparuisse. Fuit Behleem civitas illa Iudaeae, quae quondam Ephrata dicebatur, Christi natalitate felicissima, in qua carmen illud argelicum: *Gloria in excelsis Deo, coelestis voce cantatum est*; sed Christus illic floruit, hic radicavit. Ille mons excelsus, in quo Christus cum Moysse, et Elia loquens, transfiguratus, vestibus, et facie glorificata visus est ab Apostolis, et ad breve tempus excolavit; hic autem locus longa, secretaque conversatione Deo familiarissimus, hic enim conceptus, hic nutritus esse perhibetur. Prata illa trans mare Galilaeae, in quibus tot hominum millia saturata leguntur, Lazari, Zachaei, et Simonis, et cetera loca, quae dignatus est Christus sua praesentia, et miraculis illustrare, profecto sunt omni veneratione dignissima; sed ubinam Deus unquam maius miraculum exhibuit? *Virgine caro factum est*: hic Deus visibilis ad vitae nostrae palaestram descendit, ut nostris mor-*

lialibus armis communem humani generis hostem profligare. Mons olivarum, utique Christi Domini ascensione clarissimus; sed locus iste Annae domicilio, B. Virgini natiuitate, et Christi conceptione nobilitatus est. Beata quidem Zachariae domus, quae Deiparae salutatione illustrata, Christi praecursoris decora praesentia; sed domus huius longe maius est privilegium: nam praeter ea, quae domui Zachariae donant ornamenta, hoc plus habet, quod fuit ab apostolico sacra collegio. Jordanis undae dominico gloriantur tactu; sed domus ista Virgini immaculatae, tota Christi manibus contractata, pavementum hoc toties Christi tulit vestigia, parietes isti conscii fuere Christi incarnationis. Eremus illa dominico consecrata ieiunio, non parum habet venerationis, et laudis; at in domo ista quoties abstinuisse, et ieiunasse Christus, et maiora opera virtutis exercuisse putandus est, cuius vita erat sanctitas, doctrina, veritas, pietas, charitas, et omnium virtutum magisterium? Hortus ille, in quo Christus orare consueverat, inter loca sanctitate praecleara nequaquam postremum est habendum; at in sacello isto Christus parvulus, et adultus oravit, manducavit, bibit, dormivit, atque quievit. In cruce, licet iuxta Ieremiae vaticinium, cuius meminit Paulus (*ad Heb. 2.*), nostrae salutis opus consummatum; hic vero inchoatum fuerit, ita ut illic ultima Christi, hic vero prima statio fuerit in utero matris; moriturus venit ad vitam, ibi perrexit ad mortem; hic cum gaudio celebranda conceptio, illic cum moerore lacrymandam mors. Haec, vel similia contemplanis ille non minus poeta insignis, quam orator praecellens, Marcus Antonius Mauritius (*in carmine ad B. Virgineum*), haec praecleara nobis scripta reliquit:

Quenam igitur regum sedes, quae templa per orbem
Huc se ansint conferre loco? ter, et amplius omnes
Ante alias felix Picenoni Iltoris ora.
Cui Solyms spectare domi, cui munere divum
Fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
Eo ego iam simplex procumbam, atque oscula figam
Parietibus sanctis, spargamque hoc pulvere cineres.
Adspice me superis a sedibus, adspice Virgo
Prostratum, atque imo gemitus ex corde cientes
Et pectus tundentes, et stethus ora rigantes.
Neu quamquam culpis adoptum turpibus arce
Aspectu me Diva tuo; si pectore toto
Te veneror, si te dubiis in rebus ad unam
Confugio, teque auxilium sanctissima posco.
Poenitet, et meritis horret mens conscia poenas,
Quod nisi tu casto pendente ex ubere Natum
Cunctas, placasse mihi, quo tendere cursum,
Quove malis fessum tentabo advertere puppim?
At in (namque soles) placida dignare querebas
Aure meas, et ades lapsis mitissima rebus.
Certe equidem tota pendentes aede tabellas
Adspicio, quod te miseris praesto esse loquuntur.
Hic te animo spectans terrentem viscera febrim
Depulit ille hyadas fristes, haedumque cadentem
Spectavit tutus, vertentibus aequora ventis,
Et duce te patrias enavit salvus ad oras.
Criminos ille reus falsi sub iudice duro,
Dum mortem spectat, tenebroso carcere clausus,
Munere Diva suo, detecta fraude revisit
Uxorem, et natos, exoptatumque parentem,
O ego nunc morbis nullo gravius aeger,

Nanfragumque timens longe exitiosus illo,
Et iam pridem animum peccati compede victum,
Et possim morbis liber, vinculis solutus.
Fluctibus, et ventis laceraam subducere puppim.
Quas tibi lactas agam grates, dum vita morabit?
Te, cum luce noxa sparget sol aureus orbem.
Te recinam, quoties abscondet opaca polum nox,
Et tuo praecipio venerabor numina culla.

E contra vero, proh dolor! faciunt praecitati haeretici Vergerius, et Ilyricus, aliique huius tempestatis miseri illorum assecle, quorum Sycophanta maledicentia, ac virulentus furor tantum profecit, ut non solum supervacaneas huius sacerrimae domus laudes perpetim indicant, sed et tamquam contemendam fabellam, multiplicem illius in varia loca translationem scriegio ausu irridant: quorum execrandam audaciam cum mendacibus coniunctam, non solum vetustae historiae, antiquae traditionis, pontificum, et maiorum auctoritas, communisque catholicae Ecclesiae consensus, sed et tot testimonio oppugnant, quot signa, et miracula iam pridem annis quadringentis loti orbis Deus opt. max. publice demonstravit, ac nunc etiam, Europa tota obstupescente, demonstrat. Ea quidem tam multa sunt, ut nullo numero comprehendit; tam aperta, et illustra, ut nonnisi ab impudentissimis hominibus negari; tam clara, stupenda, lateque patentia, ut pro dignitate a peritissimo quidem oratore celebrari, et explicari nequaquam possint. Unde paucissima quaedam referre contentus ero, lectorem mittens ad praeclearum historiographum Hieronymum Angeltiam, qui multa in id genus eruditae cunctis. Miram sane sacerrimae huius domus virtutem persensit Paulus II. pont. max. qui cum Laureti sese Deiparae commendasset, ex gravissimo morbo, et epidemiae ulcere, quo laborabat, subito, ac mirabiliter saluti est restitutus. Tum celebris viri Petri Gratianopolitani uxor Antonia, nonnisi hoc sacro loco septem daemionibus, a quibus erat obsessa, multis tunc praesentibus, potuit liberari. Multis retro annis, quum illustris theologus, item et poeta, quum dixi, Baptistia Mantuanae floreret, qui postquam in febrim ardentissimam incidisset, Lauretanae Virgini restitutum valetudinem commendavit, eique vota fecit, sicut carmen ab illo conscriptum non obscure declarat: sic enim inter cetera ille canit:

Eme me tantis igitur Regina periculis,
Et lacerae sparsae collette navis opes.
Mox, ut liber ero, Lauretia templa revisam.
Et tibi de nostro carmine munus erit.
Carmine persolvam gratias, et carmine laudes,
Carmine divinum testificabor opus.

Ac tandem, ut paucis multa complectar, innumeri sunt, qui gravissimis morbis superatis, optatam sanitatem recuperarunt, horrenda terrae, ignis, maris, hostiumque pericula evaserunt, in rebus adversis, ac desperatis miram sublevationem persenserunt, et quotidie experimur: quia sacra illa domus perennis fons est miraculorum, portenta semper, ac

prodigia in fidelium salutem, et haereticorum confusionem continuo scaturiens.

Sed iam ad aliam circumstantiam scitu dignissimam accedamus, de cohabitatione Iosephi cum Maria tempore angelicae salutationis: non enim est in hoc una omnium sententia: nam d. Anselmus (*sup. 1. c. Matth.*), Abulensis (*sup. c. 2. Matth. post q. 33.*) et Caietanus (*super Matth.*), affirmant, Iosephum tunc non cohabitasse cum Virgine, quod ex illis verbis angeli colligunt: *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam contigem tuam: igitur nondum illam acceptat solemnitate nuptiali, nec cum illa cohabitabat, alioquin iam eam accepisset.* Multi tamen Patres secus opinantes, aiunt, Mariam, et Iosephum iam cohabitasse in eodem domo tempore conceptionis Verbi Dei: ita sentit Chrysostomus (*hom. 4. in Matth.*), Gregorius Nyssenus (*in orat. de Christ. nativ.*), Epiphanius (*haeres. 78.*), ac permulti recentiores; et d. Thomas (3. p. q. 29. art. 2) hanc opinionem ait esse magis consonam evangelio. Movet autem d. Thomam ad hanc magis amplectendam sententiam locus ille *Matth. 1: Voluit occulte dimittere eam;* quo verbo satis aperte indicatur, iam antea fuisse ad cohabitandum admissam; nam, ut d. Ambrosius (1. 2. in *Luc.*) ait: *Quam non accepit, nemo dimittit; et ideo, qui volebat dimittere, fateatur accepisse:* et certe, si quando b. Virgo concepit Verbum Dei, nondum erat in domo viri sui Ioseph, non videtur satis prospectum famae illius, nam quando sponsa concipit in domo sponsi, merito esse putatur conceptio maritalis; si vero ante cohabitationem concipiat, semper huiusmodi conceptio habetur suspecta. Quare verba illa (*Matth. 2: Noli timere, accipere Mariam,* iuxta Chrysostomum, et Ambrosii sententiam, non sunt intelligenda, quod denuo esset in domum Ioseph traducenda; sed in hunc modum, quod moneatur Ioseph, ut sponsam, quam domi habebat, et proposita, et animo dimiserat, domi retineat, ita ut sensus sit: *noli timere accipere*, id est, tecum illam simul cohabitare; in qua etiam sententia sunt Theophylactus, et Euthymius. Alter vero locus a Caietano citatus: *et nollet eam traducere*, non est sensus, aiunt, in domum adducere, sed *traducere*, significabat, *infamare*, et ad adulteram accusare, ut omnes fere expositores explanant. Verum licet hanc sententiam probabilem iudicemus, contrariam tamen probabiliorē late supra lib. 4. demonstravimus.

Porro circumstantiam occupationis, et exercitii, cui b. Virgo vacabat, cum angelus ad eam ingressus est, Patres minime silentio praeterire: nam d. August. (*lib. 3. de mirabil. sacrae Script.*) ait: *Mater Domini orans, verbo angelus annuncians sine ullo incredulitatis, aut inobedientiae obiecto consentit:* et d. Bernardus (*super Missus*) inquit: *Quo ingressus in secreto cubiculo, ubi clauso super se ostio, orabat Patrem in abscondito.* Docet idem Albertus magnus (*cap. 30. super cap. 1. Lucae*) dicens, quod cum conceptio Filii Dei esset perfectissima: operatio, nonnisi in perfectissimo statu fieri debebat; status autem vitae contemplativae perfectior est statu vitae activae. Et quidem si con-

ceptio Praecursoris fuit annunciata Zachariae eius patri in sacrificio occupato, nullo congruentius erat, ut Redemptoris conceptio annunciaretur futurae eius matri, orationi, et contemplationi vacanti. Alii dicunt, b. Mariam, inventam ab angelo, propheticum illud Isaiæ (c. 7) vaticinium legentem: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium.* Addit autem Albertus magnus (*cap. 63: Credimus, b. Virginem in adventu angeli inclinatis genibus, et elevatis puris manibus, ac erectis in coelum oculis extitisse.*

An autem, quando Verbum caro factum est, b. Virgo clare intuita fuerit divinam essentiam, licet dubitanter affirmet d. Antonius (4. p. tit. 15. c. 17. §. 1) dicens: *Fortē in ipso conceptu, vel partu, illi datum est ad horam, ut videret mysterium huiusmodi, ut in patria: supposito tamen b. Virginem mortali carne indutam aliquando vidisse clare divinam essentiam, prout expresse docet d. August. (tract. *super Magnificat*) dum ait: *Nam cum se Dominum magnificare perhibuit, reverendam veneris aeterni nominis maiestatem interna visione contueri se manifeste declaravit:* quem sancti sunt Hugo Victorinus (*super Magn.*), Ubertinus (1. 1. *arboris vit. Crucifixi* c. 9), Cancellarius parisiensis (*alphab. 88. tit. 9.*) et satis utique rationi consentaneum erat, ut in quo die Deum ventre concipiebat, eundem mente per claram visionem conciperet, ut sic perfectissima conceptio ventris perfectissima corresponderet conceptio mentis.*

Tandem ultimam clausurae circumstantiam minime praetermittam, ut ad componendos virginum mores nostra convertatur oratio: hanc nobis tradidit d. Bernardus (*super Missus*) in haec verba: *Suspiciendum non est, quod apertum angelus invenit Virginis ostium, cui nimirum in proposito erat fugere hominum frequentiam, vitare colloquia, ne orantis silentium perturbaret:* id sane mysterio congruebat, ut angelus clausis ianuis ingrederetur oratorium, quatenus per hoc significaretur, quod Dei Filius, iuxta illud Ezechielis (c. 44): *Porta haec clausa erit, et vir non pertransibit per eam.* Scio, Iacobum haereticum in suo exerando protovangelio ementium fuisse, non domi, sed foris primum ab angelo salutatam Mariam; finis enim illam, velut alteram Rebecam, accepta hydría foras ad hauriendam aquam profudisse, atque tunc illi vocem, nescio unde allatam, intonuisse: *Ace, gratia plena: ipsam vero in dexteram, et sinistram partem circumspexisse, ut insolitae vocis prolatores agnosceret;* cumque tremefacta, domum redisset, ac hydríam deposuisset, tum demum angelum domi adstitisse, et cum illa longum iniisse colloquium. Haec haereticam fabellam satis utique expugnari arbitror ex verbis ipsius sacri evangelistae: nam, ut Patres adnotant, dum ait: *Ingressus angelus ad eam dicens: Ace gratia plena;* aperte supponit, Virginem domi suae inclusam esse, et in ea primum ab angelo salutatam: permultum enim beata Virgo ab aliarum foeminarum moribus aberat, quae, vel cum Martha, domesticis curis turbantur, et distra-

hantur; vel cum Dina, foris vagantur; vel cum Iephthae filia, lamentis, foemioisque affectibus libenter indulgent; vel cum Michol Davidis uxore nugantur; vel cum Moysis sorore murmurant; vel cum Herodiadis filia impudice saltant; vel denique cum filiabus Sion ealae, atque pomposae, ut spectent simul, et spectentur, luxu, et mundo immodico delectantur. nihil eiusmodi, quod frequenter fatuae virgines, ac vulgares mulieres faciliat, in nostram Virginem cadit, quae non in theatris, choreis, aut publicis viis, sed in loco dumtaxat secreto, piisque contemplationibus apto ab angelo inventa perhibetur, ut quae a Spiritu sancto quietis, et pacis amantissimi, velut magistro, et rectore suo gubernaretur. Aque hinc est, quod d. Hieronymus (*in c. 7. Ios. et in epist. ad Eustoch.*) monet Virginem hanc Hebraeis: *Ahalma*, id est *secretam et absconditam* haud temere nuncupari, quae cum primum et vidisset, et audisset angelum, turbata fuerit, quod nunquam, aut rarissime a viro fuerat conspecta, et salutata.

Hinc virginitalis cultrices discant oportet, clausurae vigilantes custodes esse, nisi inaccessibilem virginem pudoris thesaurum latronibus praedandum exponere velint, parentesque suos maculare, ingentique dolore conficere, ut contigit Dinae, quae quia voluit pervagari, et lustrare civitatis plateas, virginitalis pudore amisso, tam ingenti dolore patrem suum Iacobum affecit, ut cum stuprum illud magnae interfectionis causa extitisset, ipse Iacob conquereret, quod illum filia stupro, et filii interfectione ab illo exorta, execrabilem omnibus reddidisset; nam ubi vulgata nostra ait: *odiosum me fecistis;* alia versio legit, *foetere me fecistis:* quasi diceret: antea eram ille, de quo pater meus Isaac dixerat (*Gen. 27: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus;* nunc autem, quasi hoc odoresopto, infelix hic Dinae filiae meae, et filiorum eventus commaculat me, et foetere me facit. Unde ponderatione dignum est, quod cum haec Dina, secundum Hebraeorum traditionem, postea uxor esset Iob, cum omnia bona illa eripuisset, etiam filios, uxorem tamen non abstulit, quia pravam eius indolem cognoscens, praedoravit, instrumentum eius futurum esse ad persequendum Iobum: quod adeo rei iustus probavit, ut sacra Scriptura attestante, persuaderet ei, ut Deum malediceret (*Iob 2: Benedic Deo, et morere.* Imitentur ergo virgines sanctam Iudith, de qua sacer lexus (*Iudith 8*) dicit: *Fecit cubiculum in superiore parte domus:* haec enim clausura non parum eam iuvit, ut castitatem conservaret. Unde laudantes illam ob victoriam, quam de Holoferne tulerat, in hunc modum caneant: *Benedicta filia tu a Domino, eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum alterum nescieris,* merito quispiam possit dicere: incongruum fuisse hoc laudationis genus, eo tempore, quo non de castitate, sed de fortitudine, quam in praecedendo capite Holofernis, et fugando eius exercitu ostentaverat, agebatur; at si id alta mente perpendamus, excellentius fortitudinis opus erat, bullientem libidinem compe-

scere, quam fortissimum quemque hostem iugulare: nam, ut ait Salomon (*Prov. 16*). *Melior est, qui dominatur animo suo, expugnator urbium:* quod si etiam advertamus, Holoferne Iudith amore captum, illam sollicitasse, ut sibi consentiret, a quo tamen polli minime se permisit, facile inde deprehendemus, post duplicem hanc factam victoriam de Holoferne, congrue satis ob castitatem laudari. Simon Maiolus episcopus narrat, Macriam uxorem Torquati post mortem viri sui, clausurae adeo observatricem fuisse, ut praeter domesticos, humanis oculis nunquam eam videret, adeo ut cum Romam duceretur quidam Cyclops, et omnes undique properarent, tam viri, quam foeminae ad videndum portento-sum hoc monstrum, unicum dumtaxat oculum in fronte habens, et quod amplius est, transeunte Cyclope per viam, in qua domus ei erat, et a familia accessita, ut ad fenestram properaret ad videndum eum, naturalem appetitum illum videndi adeo cohibuit, ut prae voluptu, quam sibi intulerat, clausuram suam servans, animam exhalaret. Haec autem foemina; si interrogaretur, ut quid tam sollicitam clausurae curam gereret, non aliam credimus exhibituram rationem, quam, ut castitatem conservaret. Foemina enim est, velut cervas: sic namque eam appellavit Salomon (*Prov. 5*): *Laetare cum muliere adolescentiae tuae, cervas charissima:* hanc quidem, dum intra specus, et antrum suum, vel intra densissimum nemus se continet, canes illum non insecuntur, nec persequuntur: inde tamen egrediens, et hae, illaque errans, frequenter et a canibus dilaceratur, et a venatoribus capitur, quibus ad nutum oportet se subici; at non secus accidit foeminis, quae dum intra clausuram se custodiant, viri eas non facile insecuntur: at si videre, et videri cupientes clausurae secreta violenter, et in publicum prodeant, in manus lascivorum venatorum plerumque incident, ac per fas, vel per nefas compelluntur se misere illis subdere, ac libidinosis eorum voluntati acquiescere, cum magno earum dedecore, ingentique illius iniuria, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Quae latent arcana in illo verbo, Ave: salutationis angelicae operiuntur, ubi mira antithesis, seu contrapositio nominum, Evae, et Ave, ac personarum Mariae, et Evae, ex Patrum doctrina, et aliis a nobis excogitatis proponitur.

Multi olim, ac varii salutando modo vixerunt, quorum sacra meminerit eloquia. Iob, princeps militiae, occurrens Amasae, salutavit eum dicens (2. *Reg. 20*): *Salve mi frater:* Raphael angelus Tobiam salutans dixit (c. 4): *Gaudium tibi semper sitaluis etiam angelus Gedeonem in hunc modum salutavit (Jud. 6): Dominus tecum, virorum fortissime:* Hebraei scribentes literas

amicis suis eos in hunc modum salutabant: *Salutem, et pacem bonam, ut sacra Machabaeorum narrat historia (2. Machab. 1):* Christus etiam Dominus discipulos suos salutavit dicens (*Luc. 24. et Ioan.*): *Pax vobis: eosdemque hoc genere salutationis uti monuit: Pax huic domui: ac summi etiam Pontifices hac salutatio- nis uti consueverunt: Salutem, et Apostolicam benedictionem, ut patet ex proemio decretalium. Praeter haec autem salutatum genera, antiquissimus mos increbuit usurpandi hoc verbum Ave, ad salutem et vitam longiorem deprecandam: sicut e contra vale usurpari con- snevit ad respiciendum amicum a se, ut con- tigit Fulvio Caesaris Augusti amico, qui, ut auctor est Cornelius Tacitus (*de Caesare Aug.*), et latius narrat Plutarchus, cum detegisset secre- tum imperatoris, quod valde ei displicuit, illo in aula regia Caesarem salutante, *Ave Caesar*, ipse respondit: *Vale Fulvi*, unde ortum habuit commune proverbium: *Longum vale da- re illis*, quos a nostro consortio, et confabulatione longe seingimus: immo, et vale olim mortis symbolum fuit: Gentiles enim defunctis igne concrematis, et in cineres redactis, *Vale* dicere solebant: nunc autem Gabriel angelus, divino spiritu afflatus, reliquis omnibus salu- tationibus omissis, non absque singulari mysterio, elegit hoc ultimo salutationis genere Mariam salutare, dicens: *Ave*. Cuius rei quatuor praecipue occurrunt rationes, quae totidem arcana in verbo *Ave* abscondita nobis reserabant. Prima est, quod angelus, tamquam sapientissimus orator, cum vellet Mariae suadere, ut legationi suae consensum praerebet, quasi capiens eius benevolentiam, prius illam ad gaudium excitavit, et laetitia, ut adno- tavit d. Ambrosius (*hom. de hum. gener. Christi*) dicens: *Maria edoceta, et iussa est ab angelo gaudere, et observavit etiam d. Augustinus (ser. 13. de nat. Dom.)*, ubi ait haec vox *Ave* in hoc loco non est vox imprecantis, sed annuncian- tis et exhortantis ad gaudium, et laetitiam tum de proprio, tum de communi bono. Unde Euthymius (*in cop. 1. Lucae*) inquit: *Gaude, ut- pote inter omnes virgines in Dei Matrem electa*. Si enim gavisi sunt Abraham, et Sara in natali filii sui Isaac, ideoque hoc nomine do- naverunt, quasi virum illum *risum* esse cense- rent, quomodo non gaudeat Virgo tanto digni- ficata privilegio, ut feret Dei sui, et Salvato- ris Mater? Ad intelligentiam vero secundae, supponere oportet, veram esse vulgarem illam sententiam dicentium: quolquod nascuntur, in egressu ab utero materno plorare, iuxta illud (*Sap. 7*): *Primum vocem emittit plorans, quem planctum, ait d. Augustinus (1. de civ.)*, esse quamdam prophetiam nostri incolatus, a perle significan- tem ingressum in vallem lacrymarum. Est autem hoc discrimen, ut vulgaris illa fert sententia, quotidiana experientia comprobata, quod masculus plorans profert, *A*, quasi dicat ab Adam nullis miseris onustus descendendo; foemina vero lugens profert, *E*, quasi dicens, *E*-vae similis nascor, maledictis eius obnoxia: Et ergo praenotavit angelus Adami, et Evae filios per eorum peccati vulnus mortificatos, vivi- ficari per Virginem significatam per *V*, quae*

media est inter *A*, et *E*, idcirco angelus con- sulto Mariam salutavit sub nomine *Ave*. Secunda ratio, quia, ut in ore omnium versatur, et tradit non ignobilis auctor Aegidius Romanus (*in expos. salut. ang.*) *Ave* derivatur ab *A*, quod est sine, et *ve*, quod est interiectio dolentis propter aliquam miseriam; et angelus igitur significaret b. Virginem immunem omnino ab omni *veh*, tam corporis, quam animae, salu- tavit eam dicens, *Ave*. Triplex quidem reperio *vae* corporis, et triplex animae: corporis quidem quatuor humorum improportione debi- tum eius temperamentum solvit; bellum carnis adversus animam: *vae caro*, ut ait Paulus (*ad Gal. 5*), *concupiscit adversus spiritum*; quae tandem eiusdem in pulverem conversio, quae tria non obscure significant verba illa Genes (c. 3): *Maledicta terra in opere tuo: ecce intemperiem: Spinas, et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terrae: ecce pugnam carnis spiritum pungentis*, et ad comedendum vulniferum cibum stimulantis: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es: ecce manifeste conversionem in pulverem*. A triplici isto *vae* longe Maria aliena esse perhibetur, cuius corpus fuit eucra- ticum, hoc est, bene temperatum; cuius caro, utpote quae fomite carebat, nunquam concep- vit adversus spiritum; cuius corporea substan- tia corruptionem necivit: *virg.*, ut dixit d. Augustinus (*serm. de Assumpt. Virg.*) *putredo et vermis sunt opprobrium humanae conditionis, a quo Mariae natura excipitur, quam de se in se- les assumpsisse probatur*. Triplex etiam *vae* animam vexare solet: *veh* originalis, *vae* mortalitatis, et *veh* venialis peccati, iuxta illud Apoc. (c. 8): *Vae, vae, vae, habitantibus in terra! a quibus omnibus liberam omnino inteor Mariam: ab originali quidem non obscure mihi indicasse videtur sacrum concilium Tridentinum, dum decernens omnes per naturalem propa- gationem ab Adam praevencariore originem ducentes peccatum originale incurere, subiu- gunt, suae intentionis non esse in hoc univer- sali decreto immaculatam Dei Genitricem com- prehendere. *Vae* etiam carnit peccati mortalis aut capitalis, quod septuplum esse sacrae literae contestantur: *Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam (Is. c. 11)*, ecce gula: *Vae dis- solutis corde (Eccles. 2)*, hoc est negligentibus, ut explicant ibi interpretes, ecce accidiam: *Vae, qui opulenti estis in Sion, qui lascivitis in stratis vestris (Amos 6)*, ecce luxuria: *Vae qui congregant acritiam malum domui suae (Abach. 2)*, ecce avaritiae vitium: *Vae coronae superbiae (Isa. 28)*, ecce inflationem, et super- biam: *Vae his, qui perdidit sustinentiam (Eccles. 2)*, ecce iram, et impatientiam: *Vae his qui abierunt in viam Cain, et Chore (Iudae 11)*, ecce invidiam, quia Cain, invidiae furore com- motus, occidit fratrem suum Abel, et Chore similiter per invidiam adversus Moysen insur- sit. Haec quidem *vae*, et miseriarum genera longe adeo aberant a Maria, ut Augustinus (*li. de nat. et grat.*) diceret: *Cum de peccatis agitur, nullam prorsus de b. Virgine habere volo questionem. Scimus enim, quod plus gratiae ei donatum fuit ad vincendum ex omni parte pec-**

catum, quae concipere, et parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Tertium tandem genus peccati veniale est, de quo Michaeas (c. 2): *Vae vobis, qui cogitatis inutiliter: inutiles enim cogitationes, quae peccata venialia sunt, perfectissimos quoque viros invadere solent, Salomone dicente (Prov. 24): Septies in die cadit iustus: ab hoc etiam *Vae*, tamen etsi levis- simum, immunem fuisse b. Virginem, praeter concilium Claromontanum tradit expresse Tri- dent. (*sess. 7. cap. 23*). Tertiam denique ratio- nem, ob quam angelus Virginem salutavit hoc verbo *Ave*, eam certissimum esse existimo, quod *Ave* literis inversis reddit idem quod *Eva*, quod non obscure significavit, Mariam omnino con- trariam exitisse Evae, et mala quae ipsa pat- ravit, Mariam in bona multa comulasse, ut apertissime docet Ecclesia catholica, dum Virginem alloquitur ait: *Sumens illud Ave, Gabriels ore, funda nos in pace, mutans Evae nomen*. Haec autem mutatio cum fuerit dexterae Excelsi, non fuit nomine tenus, sed re ipsa, adeo ut sicut *Eva* fuit mater mortuorum, Maria revera exiliret mater viventium. Sicut enim populo hebraeo ad mortem adindicato ex Aman insidiosa, et machinatio vafre, regina Esther sententiam regis revocari fecit, deprecans eum, ut literae Amanis corrigerentur, quibus praecipiebatur omnes Hebraeos perire; et ingressa in orbem b. Virgo, angelicae annunciationis consentiens, ad- deo Altissimi placuit, ut sententiam damna- tionis contra genus humanum latam revocaret. Unde sicut *Eva* principium fuit nostrae perditionis, ita Maria radix, et origo exitus nostrae salutis. Quare egregie d. Fulgentius (*serm. de laud. Virg.*) scripsit: *Cum dicitur Ave, ostendit ex integro iram exclusam primae sententiae, et plene benedictionis gratiam restitutam*. Ut tamen haec Mariae et Evae antithesis, ac mirabilem contrapositionem illius repleamus, observan- dum est, in omnibus mundi aetatibus masculum, et foemianam fecisse Deum ad gloriam suam propagandam, et ad mundi comoda pro- movenda: unde d. Augustinus (*lib. 1. de gent. cont. Manich. c. 23*) numerat sex mundi aeta- tes, quae similitudinem habent illorum sex die- rum, quibus mundus est conditus. In prima exiit inter Adam, et Eva, qui, etsi peccati, ac mortis fuerit principia, tamen poenitentia duci eorum qui per eam salvantur, prima exem- pla praebere, ut egregie observavit d. Irenaeus (1. 1. c. 30). In secunda aetate Noe, et ux- or eius, quam Barlemon Epiphanius appellat, in Genesi nuncrantur: *Egredere de arca tu, uxor tua, fili tui, scilicet ad genus humanum multiplicandum, et conservandum*. In tertia fuerunt Abraham, et Sara, ille parens hebraei populi promissionem divinitus accepit, Christum ex semine suo nasciturum: pater fidei, et obedientiae exemplar insigne extitit, Sara vero catholicae Ecclesiae tyrum gessit, ut tradi- dit d. Ambrosius (*lib. de Abrahamo*) Trinitatis fidem, ac reverentiam erga Patrem, Filium, et Spiritum sanctum in tribus mensuris unius similitudinis exprimens: ipsa etiam fuit prima mu- lier, cuius in Scriptura aetas, mors, et sepul- crum ab praesentem eius dignitatem, excellen- temque virtutem narratur, ut observavit Pe-*

CARTHAGENA DE B. M. V. — Vol. I.

rerius (*in Gen.*). In quarta aetate fuit Moyses rex, legislator, pontifex, propheta, dux populi Dei, et primus rerum divinarum canonicus scrip- tor: fuit etiam Maria prophetissa soror eius, quam sequentes omnes mulieres cum tympa- ni, et choris canticum illud eccinebant (*Exod. 15*): *Cantemus Domino: gloriosus enim magnifi- catus est; equum, et ascensorem proiecit in ma- re: haec maximarum rerum tyrum gessit; ut enim pulsavit tympanum post transitum maris rubri, figuram praetulit Ecclesiae catho- licae laudantis Deum pro his, qui baptizantur in mari rubro sanguinis Christi per lavacrum regenerationis, ut observavit Beda (*super exod. loc. Exod.*); et in missa fuit a Deo ad pro- phetandum, designavit Deiparam prophetantem (*Luc. 1*): *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, ut tradit d. Hieronymus. In quinta aetate enumerandi sunt David, et Abigail; Davidem autem tyrum Christi exis- tisse nemo ignorat: de Iudaea, et domo Be- thlehem, sicut Christus, ortus est, et deinde in regem, ut ille, unctus; et ut David Goliath occidit, ita Christus diabolum; et sicut David immutavit os suum coram Achis regem Geih, ita ut insanus idicaretur, ita Christus alba veste indutus tamquam stultus illusus fuit; et ut ille salvavit populum Dei, sic Christus genus humanum. Abigail, multier prudentissima, et speciosa, ut 1. Reg. 15, figuram gessit b. Virgini pulcherrimae, et prudentissimae, quae vero excellit, quam illa, iram David placavit, cum per Verbum in utero eius incarnatum Deum Patrem humano generi reconciliavit. Figura etiam extitit Ecclesiae catholicae ex gentibus ad Christum conversae, cum post virum priorem Nabal, David in virum suum accepit, ut ingeniose observant d. Ambrosius et Rupertus. In sexta, et ultima aetate fuerunt Christus et Maria eius mater, qui christianam, et novam Ecclesiam pepererunt: sicut antea sexta mundi dies, in qua Deus hominem condidit, operis excellentia ceteros quinque dies superavit, in quibus alia homi- ni inferiora creavit, ita sexta mundi aetas, in qua Virginem, et ex Virgine Christum produ- xit, ceteras mundi aetales longe praecellit. Fuit quidem Adam tyrum Christi Domini, et Eva Maria, ut communiter annotant Patres, quia licet in eis videatur esse dissimilitudo, eo quod *Eva* educta est ex latere Adae, et contra ve- ro Christus, secundum Adam, eductus est de utero Virginis; si rem tamen altius contem- plumur, etiam secunda haec nostra *Eva*, Virgo beatissima, educta fuit de latere secundi Adami, quando Ecclesia, cuius praecipuum membrum est ipsa, per spiritualem regenera- tionem ex percusso latere Christi in cruce dor- mientis profiit. Unde Augustinus (*1. 2. de symb. cap. 6*) ait: *Ecce sponsa Ecclesia, quae nisi ista in Christo facta esset, tu ab illo formata non esset; vendit redemit te, occisus dilexit te; o magnum sacramentum huius coniugii, o quam magnum mysterium huius sponsi, et huius sponsae! de Sponso sponsa nascitur, et ut nascitur, statim illi coniungitur, et tunc sponsa nu- betur, quando Sponsus moritur*.*

Ut tamen innumera bona, quae per Mariam

accepimus, clarius vobis innotescant, illam quae cum Eva conferamus, quae tot damna nobis inlulit. Illud certe mirabile semper mihi visum est, divinam sapientiam ita creaturas condidisse, ut fere singulis singula contraria providit, quorum mira antipathia magis ea illucere facit: ut enim ait Sapiens (Eccles. 33): *Contra malum bonum est, et contra mortem vita; sic et contra virum iustum peccator: et sic intueri in omnia opera Altissimi, duo, et duo, et unum contra unum.* Haud difficile sane erit hoc exemplis comprobare: elementa inter se sunt contraria, ignis calidus, aqua frigida; terra sicca, aer humidus; animalia terrae tamquam hostes inter se praeculantur, canis leporem insectatur, lupus agnum, feras contra morem insidias parat: inter aves milvum pullum, aeneas iutrem, et perniciem persequatur. Aliaque similia disposuit divina sapientia inter se pugnantia, tum ad maiorem pulchritudinem universi, Aristotele (in *Topicis*) dicente: *Opposita iuncta se posita magis elucescunt:* tum ad divinam eius providentiam ostendendam, quae damna ab uno illata, ab alio facile reparari voluit: si enim lupus ovem insequitur, adest canis molossus, qui eum a grege arceat: vipera venefico morsu inficit, sed adversus eius venenum providit praesentissimum theriacae antidotum: ac tandem si infirmitates vexant, medicinae sanant. Omnia igitur Deus ita disposuit, ut singulis damnis singula remedia opponeret. Hunc ergo ordinem, quem Deus, ut auctor naturae, in his rebus sublimaribus servavit, eundem in supernaturalibus adhibuit: unde subdit: *Et sic intueri in omnia opera Altissimi:* quasi dicat, ipsa etiam opera gratiae vestigia sequuntur operum naturae. Fecit Deus masculum, et foeminam, Adam, et Evam, qui peccati, et mortis principium et origo exiit: sed quia, ut Ecclesiasticus ait: *Duo contra unum, et unum contra duos:* novum Adam, et novam Evam creavit, Christum scilicet, et Mariam. Unde sicut primus Adam fecit non filios irae: *Omnes nascimur natura filii irae,* (Ephes. 2. c. 3); ita secundus non regeneravit in filios Dei: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* (Joan. 1.): et sicut ille fuit auctor mortis, Christus vitae, Paulo dicente (1. Cor. 12): *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivifientur:* et quemadmodum, prout idem Paulus (Rom. 5) observavit, sicut per unum inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unum obediendum iusti constituentur multi. Quod plura? certe sicut Eva coadiutrix fuit primi parentis in praeviatione, non secus Maria coadiutrix et cooperatrix fuit Christi in redemptione generis humani, carnem, et sanguinem ei praebens pretium redemptionis nostrae. Haque oportebat, ut sicut per foeminam mors intravit in orbem, ita per foeminam vita rediret in orbem: et ideo quod damnavit Eva, salvavit Maria, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret. Eva quidem facta est de latere viri dormientis, Maria vero exivit de corde Dei vigilantis; illa viro suo fuit occasio perditionis, haec viro suo adiutorium ad incrementum sanctitatis; illa prima omnium virginitatem perdidit, haec omnium prima vir-

ginitatem Deo consecravit: Eva fuit mater mortem, Maria mater vivitum: Eva intrapida exiit ad aspectum serpentis cum illa confabulantis, Maria vero turbata ad intuitum angeli sibi loquentis: Eva per angelicum sermonem seducta est, ut effugeret Deum, Maria per Gabrielis loquelam evangelizata est: Eva decepta, ut praeviaricaretur, Maria suasa, ut obediret: illa consensit diabolo, et vitium populum comedit, secundum illud (Gen. 3): *Tulit de fructu, et comedit, et deditque viro suo;* ista credit angelo, et filium promissum concepit, secundum illud (Luc. 1): *Eccc concipies, et paries filium:* illa comedit pomum ad mortem, iuxta id quod fuerat illi praedictum (Gen. 2): *Quaecumque die comederis, morte morieris;* ista concepit filium ad salutem, cuius ei fuerat praenotatum (Matt. 3): *Vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum:* illa peperit in dolore, secundum illud (Gen. 3): *Multiplabo acrummas tuas, et conceptus tuos, et in dolore paries;* ista concepit, et peperit in gaudio, secundum illud (Luc. 2): *Annuntio vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David:* illa electa fuit in matrem omnium per generationem carnis; haec praelecta ut esset omnium mater per generationem spiritus: illa fuit plena malitia; Maria plena gratia: illa fuit plena malitia; haec benedicta in mulieribus; sic fructus ventris fructus maledictus fuit, Cain; sic fructus ventris Mariae super omnia est benedictus, Iesus. Revocte quaeso in memoriam illud tritum tam apud philosophos, quam irrisconalium proloquium, ut habetur (in *e. omnis de reg. iur.*): *Omnes res per quaequeque causas nascuntur, per easdem dissolvitur:* omnia quidem sublimaria tam animata, quam inanimata ex temperamento quatuor primarum qualitatium, caloris, frigiditatis, humiditatis, et siccitatis nascuntur, et per excessum earundem qualitatium tandem corrumpuntur; sed non solum id videre est in naturalibus, sed etiam in supernaturalibus nostrae fidei mysteriis. Peccatum quidem introivit in mundum per res sensibiles, per fructum scilicet ligni vetiti, et per res alias etiam sensibiles, cuiusmodi sunt sacramenta, foras expellitur, et expiatur: peccatum corde concipitur, ore profertur, et opere exercetur; cordis tamen contritio, et oris confessione, et operis satisfactione remittitur: similiter etiam per virum, et foeminam coepit generis humani ruina, et per virum, et foeminam coepit eiusdem reparatio: ut enim dixit Bernardus (de verb. Apoc. Signum magnum): *Venerunt quidem nobis vir unus, et mulier una nocuere, sed gratias Deo, per unum nihilominus virum, et mulierem omnia restaurantur, nec sine magno foenore gratiarum; neque enim sicut delictum, ita et donum, sed excedit donum aestimationem beneficii magnitudo: sic nimirum prudentissimus, et clementissimus artifex, quod conqussatum fuerat non confregit, sed illius omnino refevit, ut videlicet nobis novum formaret Adam ex vetere, et Evam transfunderet in Mariam; specialiter tamen de sola Maria loquens Augustinus (de symb. ad cathedram, l. 3. c. 4.*

tom. 9) eleganter dixit: *Per foeminam mors, per foeminam vita; per Evam interitus, per Mariam salus; illa corrupta sequuta est seductorem, haec intacta peperit Salvatorem; illa poculum a serpente propinatum libenter accepit, et viro tradidit, ex quo simul mereret occidi; haec gratia coelesti desuper infusa, vitam protulit, per quam caro mortua posset resuscitari; hactenus d. August. Cur ergo Eva ad Mariam, curro mater ad filiam, filia pro matre respondeat, ipsa matris opprobrium auferat, ipsa Patri pro matre satisfaciat: quia ecce si vir occidit per foeminam, iam non erigitur nisi per foeminam. Quid dicebas o Adam: mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, et comedi? verba Mariae sunt haec, quibus magis augeas, quam deleas culpam: verumtamen sapientia vici malitiam, cum occasione veniae, quam a te Deus interrogando elicere tentavit, sed non potuit, in thesauro indeficientis suae pietatis invenit. Redditur nempe foemina, virgo prudens pro facta, humilis pro superba, mulier sancta, quae pro ligno mortis gustum tibi porrigat vitae, et pro venenosus cibo illo amaritudinis dulcedinem pariat fructus aeterni. Muta ergo iniquae excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, et dic: Domine, mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitae, et comedi, et dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso vivificasti me.*

Sed, quae hucusque dixi de contrapositione Evae et Mariae, antiquis Patrum monumentis incipiunt iam illustrare. D. Gregor. Nyssen. (hom. de nativ. Christi) ad hunc modum loquitur: *Defenditur, et pugnatur mulier a muliere: prima aditum, et locum introendi peccato dedit, haec vero introendi iustitiae subservivit, et ancillata est: illa consilium serpentis amplecti, atque sequuta est, haec interfectorem serpentis praebuit, et lucis auctorem peperit: d. Christost. (hom. de interd. arbor.) haec praecleara scripsit: *Mors per Adam, vita per Christum: Evam serpens seducit, Maria Gabriel consensit: sed seductio Evae attulit mortem, consensus Mariae peperit saeculo Salvatorem: restauratur per Mariam, quod per Evam perierat; per Christum redimuntur, quod per Evam fuerat captivatum: per Gabrielem promittitur, quod per diabolum fuerat desperatum: denique peccatum aboletur per Christum, quod per Adam fuerat ante contractum: redditur per Mariam vita, quae per Evam fuerat interempta. S. Irenaeus (lib. 3. cap. 33) non dissimilia nobis tradidit, inquit enim: *Sicut Eva inobediens facta, et sibi, et universo generi humano causa facta est mortis, sic Maria habens praedestinatum virum, tamen Virgo obaudiens et sibi et universo generi humano causa facta est salutis: et paulo post: Evae inobedientiae nodus solutionem accepit per obedientiam Mariae. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem, haec Maria solvit per fidem: d. Augustinus in idem argumentum haec praecipue scripta nobis reliquit: *Eva inobediens meruit poenam, Maria obediendo consequuta est gratiam: illa gustando prohibitum maledicta, haec credens ange to est benedicta: illa nobis mortem contulit, haec e virgo nobis vitam peperit: Idemque rursus alibi (serm. 18. de Sanctis, qui est se-****

cundus de Annunciat.): *Eva mater generis nostri poenam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo; auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria: illa occidendo obfuit, ista vivificando profuit: percussit illa, et ista sanavit: pro inobedientia enim obediencia commutatur, et filios pro peffidia recompensatur: S. Iulianus martyr (in coll. cum Triph.) ait ipsum his verbis confirmat: *Homo natus de virgine, ut per quam vitam fraude serpentis subintravit inobediencia, per eandem sequetur veniam. Cum enim integra virgo esset Eva, concepto verbo serpentis, inobediencia, mortemque peperit; at Virgo Maria postquam concepit fidem cum gaudio, offerente sibi Gabriele laetum munus, respondit: *Fiat mihi secundum verbum tuum: d. Fulgentius (serm. de dupl. nat. Christ.) non semel Mariam cum Eva comparans, matrem illam huic novecae dissimilem fuisse his verbis edocuit: *Attendite fratres, inquit, medicinalis gratiae linea, divina nobis benignitate monstrata. Tunc ad Evam angelus malus accessit, ut per Evam homo, quem Deus fecerat, a Deo separaretur; nunc autem ad Mariam bonus angelus venit, ut in ea humanae naturae Dei unigenitus uniretur: venit ad Evam diabolus, ut vitam nobis malignus auferret; venit ad Mariam Gabriel, ut vitam reddendam hominibus nunciaret: et idem (serm. de laud. Mar.)*: *Facta est Maria restauratio foeminarum, quia per ipsam animae primae maledictioni probatur esse subtracta, nam Eva dictum est: *In doloribus, et tristitia paries, et ad virum conversio tuo, et ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subjugavit foemina, quae Mariam non sequuntur, dolori, tristitia, et servituti; Maria autem e contraria, quam praeclearissimis tribus bonis sublimiter auscultat; salutationis angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae: d. Bernardus (ser. de laud. Virg.)*: *Cradelis, inquit, nimis Eva, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit; sed felix Maria, quae salutis auctorem, et viris, et mulieribus propinavit: illa ministra fuit seductionis, haec propitiatio: illa suggestit praeviationem, haec iniecit redemptionem. Rupertus Abbas (lib. 2. super Cant.), quanta sit inter Mariam et Evam dissimilitudo, eleganter ac perspicue his verbis declaravit: *Eva quasi inimica, Eva quasi vipera, Eva quasi deformis, et mihi inimica: viro suo vipera, quae confusa ignominia: inimica per superbiam, qua intus tumuit, vipera per malitiam, quam ex serpente concipiens foris tentata facile cessit: ignominiosa pro pruritu lebidinis, qua statim scaturire coepit, unde, et nudam se cognoscens, folio pudenda contexit. Tu autem amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem. Tu contra Deum non tumuisti, immo mente humili, Altissimo complacuit, et ecce amica es. Tu serpenti auctem non praebuisti, immo inimicitias infer te, et serpenteum ego possi, et ecce columba es. Tu nuditatem libidinis non incurristi, immo Spiritus sanctus obumbravit tibi, et ecce formosa es. Veni ergo Maria, veni, nam Eva ad latebras fugit: veni, et crede angelo evangelizanti, nam Eva credidit serpenti susurranti: veni, et contere caput serpentis, nam******

Eva, et capite illecta, et ventre oblectata, et cauda est obligata serpentis. Ac tandem insignis poeta Arator (*lib. 1. Act. Apost.*) eleganti compositione hanc Evae, et Mariae antithesim in hunc modum descripsit:

Maria Dei Genitrix intacta creatis
A Natq̄e ornata suo, mala criminis Evae
Virgo secunda fugat: nulla est iuluria sexus.
Restituit, quod prima tulit persona, ruina.
Non natura dedit; tunc foemina foeta periculum.
Nunc tuncit parturata Deum, mortalita gignens.
Et divina ferens, per quam mediator in orbem
Prodit, et veram portavit ad aethera carnem.

Cui sit honor et gloria in saecula saeculorum.
Amen.

HOMILIA V.

De plenitudine gratiae beatissimae Virginis disserere incipimus, verba illa interpretantes, gratia plena, in quorum expositione varii notati solvuntur, multiplexque gratiae acceptio secundum morem sacrae Scripturae proponitur; pariterque ostenditur, Deiparam Mariam secundum omnes illas acceptiones plenam esse gratia.

Antequam proposita verba elucidare aggrediar, triplex nodus mihi solvendus est: primus, quomodo coelestis paramphus Gabriel, cum aliquo non ignoraret illud Spiritus sancti consilium (*Eccles. 11. 30*): *Ante mortem ne laudes quemquam*, ipse tamen Virginem salutans adeo eam laudaverit, ut gratia cumulatissimam dicens non dubitavit: *Ave gratia plena*. Facile tamen hic nodus solvitur, si dicamus primo, angelum certum omnino esse ob laudem, quam deferebat Mariae, superbiae inflatione ob insignem eius humilitatem minime illam fore intumescendam, atque adeo absque praedictio illius divini consilii recte potuisse Mariam laudasse. Sed melius, ni fallor, dicam, illam laudem non esse datam Virgini ex proprio Gabrieliis marte, sed missam fuisse a Deo; ipsum vero angelum delatorem tantum illius existisse: unde (*Eccles. 15*), ubi nostra vulgata legit: *Nec est speciosa laus in ore peccatoris, quoniam non est a Domino missus*: Graecus interpret vertit, *quoniam non est a Domino missa illi*: sicut ergo accepta est Deo laus creatoris, cum missa est ab illo, illa non est ingrata ei laus creaturae, quae missa noscitur esse ab eodem. Secundus nodus in ore omnium versatur, quid sit, quod angelus volens insigni aliquo encomii genere, ut ab aeterno electam et mox futuram Matrem Dei decebat commendare, non singulare, sed communem multis aliis sanctis laudem detulerit, vocans illam *gratia plena*, cum alios non paucos Spiritu sancto plenos sacra commemorent eloquia. Ioannes Baptistas (*Lucae 1*), Elisabeth, et Zacharias (*ibid.*), Petrus (*Actor. 4*), Stephanus (*Actor. 6*), Paulus et Barnabas (*Actor. 11*), Apostoli omnes (*Actor. 2*), immo, et universi illi qui congregati erant

Ierosolymis (*Actor. 4*), nec non discipuli cuncti Apostolorum, ut legimus (*Act. 13*). Non diffitemur plures in sacra Scriptura plenos gratia fuisse; at, ut dixit d. Hieronymus (*serm. de Assumet.*), *Patribus, et prophetis gratia fuisse creditur, non tamen eatenus plena, in Marianum vero totius gratiae, quae in Christo est, plenitudo venit, quamquam aliter*. Apposite quidem dixit aliter, quia sicut plenus aqua est fons, plenus fluvius, pleni rivuli, et aqua purior in fonte, quam in fluvio, et in fluvio, quam in rivulis; ita plenus Christus gratia tamquam perennis fons, in quo scaturit ipsa gratia, et in omnes iustos sicut ex capite in membra derivatur: plena Christi Mater, tamquam perenni illi fonti proximus fluvius, qui etsi minus, quam fons, aquae habeat, pleno tamen fluit alveo; pleni tandem Stephans, Paulus, et reliqui Apostoli, sed tamquam rivuli, qui in comparatione fontis aut fluvii, quasi nihil aquae continere videntur. Deinde etiam aliter occurrere possumus, quod licet secundum externam vocem magis considerantes, quam sacrae Scripturae usum, plus esse videntur plenum Spiritu sancto, quam plenum esse gratia: iuxta tamen morem sacrae Scripturae e contra se res habet, cum permultos Spiritu sancto, paucissimos vero gratia repletos esse affirmet; quod non obscure significat, tanto hoc maius esse, quanto rarius: licet enim Spiritus sanctus, qui auctor est gratiae, gratiam ipsam infinite excedat, tamquam creator creaturam, qui tamen Spiritu sancto impleri leguntur, non tam ipso spiritu, quam dono aliquo spiritus, quod se foris ostendat, dicuntur impleri; qui vero gratia, non tam huiusmodi dono, quam gratia iustificante repleri intelliguntur. Ad significandam ergo singularem plenitudinem gratiae, quam prae omnibus sanctis Deus in Mariam effudit, angelus dixit: *Ave gratia plena*: unde Origenes (*in comm. hor. verb.*) inquit: *Ubi id in Scripturis alibi legerim, non recordor: et Venerabilis Beda (super c. 1. Luc.) dicit: Benedictiois vocem formam mirabatur, quae nusquam lecta est, nunquam ante comperta, soli Mariae haec saluatio servabatur*. Quare si totam Gabrieliis salutationem attente perpendamus, facile reperiemus adeo illam urbanam, eloquentem, laudibus cumulatissimam, ut brevi verborum compendio, quae bona in antiquis salutationibus divisa fuere, omnia in hanc salutationem confluerint: illa enim in omni salutatione aut fiebat vitae impretatio, ut (*Ruth 2*): *Rez in aeternum vive: et (Gen. 27): Virz rez: Salomon: vel salutis, ut: save rez; aut benedictionis, ut messores ad Booz: Benedicat tibi Dominus: aut fiebat imprecatio divinae praesentiae, ut Gedeoni dixit angelus (*Jud. 6*): Dominus tecum, virorum fortissime; aut laetitiae, ut (*Tob. 5*): *Gaudium tibi sit semper*: haec autem saluatio Mariae, et benedictio ex omnibus his conflata est, et omnes has benedictiones complectitur, quia Ave idem est, quod sine vae, seu malo: ecce salutationem Tobiae: *Gaudium tibi sit semper*. Gratia plena, ecce salutationem apostolicam; sic enim Vas electionis suos salutans (*ad Rom. 1*): *Gratia vobis, et pax etc. Dominus tecum, ecce salutationem angelii ad Gedeonem, et Booz ad messores: Be-**

nedita tu in mulieribus: ecce salutationem Booz ad Ruth: Mulier virtutis tu es: ergo saluatio ista omnibus numeris fuit absoluta. Atque hinc est, quod d. Fulgentius perbelle ac eleganter dixit: Tria namque mala a tribus bonis Mariae probantur excludi. Nam Evae dictum est: in doloribus et in tristitia paries, et ad virum conversio tua, et ipse dominabitur tui. Tribus ergo his malis se subingunt foeminae, dolori, tristitia, servituti. Maria autem e contrario, quam praclarissimis tribus bonis subinetur, auscultat; salutationis angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae. Cum dixit, Ave, salutationem illi coelestem exhibuit: cum dixit, Gratia plena, ostendit ex integro iram excludam primae sententiae, et plenam benedictionis gratiam restitutam: cum dixit: Benedicta tu in mulieribus, virginitalis eius benedictum fructum expressit.

Tertius nodus est, quare angelus, Virginem salutans, praclarum nomen reticuit. Opinatus sum id fecisse, quia ipse volebat alacrem reddere beatam Virginem, et ideo non Mariae nomen, quod amarum mare praecipue significat, sed, gratia plenam, quod miram dulcedinem praesert, cum compellavit: tum quia, cum univocum charius et amabilius sit nomen gloriosum, quod propriis meritis comparavit, quam quod gratis a parentibus datum obtinuit, ideo angelus praetermisso nomine Mariae, quod in natalive fuerat illi impositum, egregia, ac percelebri gratia plena nomenclatura eam decoravit. Tum quia miram Virginis sanctitatem admirans Gabriel, quae cum in terribi degeret, coelestem vitam agebat, instar coelestiae aut coelestis civis eam pertractat; constat autem coelestes dives nominibus carere: quia cum nominum diversitas ad agnoscendas personas ordinaret, et beati aliunde sint sibi invicem notissimi, impositio nominum superflueret. Quod si multi angeli singularia quaedam sortiti sunt nomina, ut Michaelis, Gabrielis, Raphaelis, non personarum, sed officiorum nomina illa sunt, ut per ea illorum munera nobis innotescant. Tum tandem angelus forsitan honorificentissimum Mariae nomen consulto praetermisit, ut similem honorem ei deferret, quem Hebraei nomini Dei Iehova deferebant, ineffabile et inimmabile illud appellantes: non quia revera nominari non possit, sed quia ob eximiam reverentiam ei debital indignant pulabant humana lingua proferri, quod angelica parum erat nominari.

His nodis iam dissolutis, proposita verba Gratia plena elucidare exordiamur. Illud ante omnia observantes, haereticorum expositiones, veritates obscuratrices, longe fore explendas, qui ut nihil magnificentum, nihil singulare, nihil superexcellens, ut Dei Genitricem decet, Mariae ascribant, ad sinistros sensus praedicta verba detorqueunt: unde Marbachius haeresiarcha imprudentissime dixit: *Latius vester interpret, quem adeo constanter sequitur latina Ecclesia, s. Lucae mentem, et sermonem graecum non assequutus, perperam vertit: Gratia plena: debet enim legi, ave gratiosa: Bucerus, gratiam consequuta, ut Calvinus; vel gratis dilecta, ut Beza; vel, gratificata, ut Bellingherius; vel, gra-*

ta Deo passice, sicut Sarcerius et Aemilius; vel, cui Deus faet, ut Lossius; vel accepta, ut Castalion; vel, quae in gratiam recepta sit, ut Heringius; vel, cuius consuetudinem omnes ambiunt, ut Culmanus. At universi Patres ex graeco recte Lucae transferre gratia plena, unanimi consensu fatentur; ex latinis quidem plenam gratia pleno ore vocitant d. Augustinus (*in Enchirid.*), Chrysologus (*serm. 142*), Ambrosius (*serm. Luc.*), Hieronymus et Sophronius (*ser. de Assumpt. et in epist. ad Princip. Virg.*), Venerabilis Beda (*sup. cap. prim. Luc.*), Eusebius Emisenus (*sup. missus est angelus*), Rupertus (*in lib. 1. Cant.*), b. Petrus Damianus (*serm. 3. de Nat. Mar.*), et d. Bernardus persaepe (*homil. de Nat. Mar. serm. 3. de be. Virg. et homil. 29. sup. Cant.*), ac tandem d. Thomast, theologorum facile princeps, (*3. par. quest. 27. art. 5*), nec non Albertus Magnus eius magister (*de laudibus Virginis cap. 69. 70. 72*). Ex Graecis vero patribus, quos haeretici tamquam graecae linguae ignaros indicari non possunt, unanimi consensu latino et vulgato nostro interpreti consentiunt, Mariam plenam gratia ab angelo vocatam, uno ore praedicantes: hi sunt d. Athanasius (*in Evang. de sanct. De.*), Epiphanius Cyprici episcopus (*in orat. de b. Virg.*), Chrisippus presbyter hierosolymitanus (*serm. de sancta Mar. Deip.*), Andreas hierosolymitanus (*serm. de sal. ang.*), d. Ioannes Damascenus (*in festo ann. Mar. et orat. 1. de Nativ. Mariae*), Gregorius episcopus Neocaesariensis (*homil. de Annunt. b. Mar.*), ac tandem s. Ephrem Edessense ecclesiae diaconus (*orat. de Deip.*), qui graecae linguae peritiam Basilii ille magnus a Deo impetravit, ut refert Canisius (*lib. 3. de Deip. cap. 7*) his verbis Mariam compellat: *Ave Dei splendidissimum, et luculentissimum vas, ave Domina Maria, gratia plena, ave in mulieribus Virgo beatissima*. Ecce Patres tam latini, quam graeci, cum alii nullis, quos longissimum esset recensere, non ut haeretici garrunt, per gratiam favorem extrinsecum hoc loco intelligunt, sed pulchritudinem animae inhaerentem, constanter asseverant: gratia enim Dei, iuxta sententiam d. Pauli (*2. Cor. 3*), est lex illa scripta non aetramento, sed spiritu Dei vivi, et in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis. Gratia Dei est lux illucescens in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Iesu Christi: gratia Dei est thesaurus, quem habemus in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei: gratia Dei est pignus infusionis Spiritus Dei habitantis in nobis, secundum quem si facta carnis mortificaverimus, vivemus: gratia Dei est institia nostrae animae inhaerens, non quidem innata, sed a Deo liberaliter infusa. Hanc gratiam vocavit Christus Dominus (*Joan. 4*) *fontem aquae salientis in vitam aeternam*. Magnus Dionysius Areopagita (*l. de coel. hier. c. 1.*) vocat *Deificaverimus*: Gregorius Nysenus (*lib. de perfecta homin. form.*), puritatem a Christo in nos derivatam: Basilium (*lib. de Spiritu sancto*), Spiritus sancti participationem: Cyrillum (*lib. 14. thes. c. 3. et 5*), sanctitatem, quae nobis inest: Prosper (*de lib. arbitrii, virtutem et Deum ipsam in nobis inhabitantem*): Ambrosius (*lib. de peccator. meritis cap. 9. et*

10), *dicinam medelam devotis infusam*: ac tandem Augustinus (*epist.* 81, *ad consens.* *Item lib. de spiritu et littera* c. 15) *gratiam* appellat occultam quamdam communicatam interioris hominis pulchritudinem.

Verum cum ex una parte plenitudo gratiae, quae ex Christo perenni fonte in Mariam effluxit, uberrima fuerit, et ex alia gratia multifariam, multisque modis in sacra Scriptura accipi consueverit, existimo non ultra quam celsissima Dei Matris dignitas poseat, secundum omnes eius acceptiones, divinam largitatem exuberantem gratiarum copiam in Mariam infusisse. Solet quidem accipi gratia pro beneficio praedestinationis seu divinae electionis, quomodo d. Paulus (*ad Rom. cap. 15*) dixit: *Reliquiae secundum electionem gratiae Dei salvae sunt*: vel pro divino favore, iuxta illud (*Gen. c. 6*): *Invenit gratiam coram Domino*: vel pro beneficio collato, in quo sensu (*cod. lib. Gen. 22*) dicitur: *Vivat anima mea ob gratiam tuam*: vel pro benevolentia, iuxta illud (*Exodi c. 3*): *Daboque gratiam populo huic*: vel pro gratia iustificante, ut cecinit David (*Ps. 83*): *Gratiam et gloriam dabit Dominus*: vel pro corona, qua caput redimitur, iuxta illud (*Proc. 1*): *Ad datur gratia capiti tuo*: ac tandem sumi solet gratia pro gratia gratis data, ut condistinguitur contra gratiam sanctificantem, ac deficiente animam, secundum quam acceptionem d. Paulus (*1. Cor. 12*) scribens inquit: *Divisiones gratiarum sunt; alii datur sermo scientiae, alii sermo scientiae, alii fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, et alii interpretatio sermonum*. His omnibus gratis plenam intueor beatissimam Virginem: suscepit gratiam praedestinationis. Ab aeterno ordinata sum (*Proc. 8*): gratiam iustificante, ab instanti suae conceptionis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum* (*ibid.*): gratiam benevolentiae: *Ego dilecto meo, et converso eius ad me* (*Can. 7. 10*): gratiam favoris, adeo ut Spiritus sanctus ad Christi conceptionem illam ut cooperatricem sibi assumeret: *Ecce concipies, et paries* (*ib.*): gratiam beneficii, eadem Virgine dicente (*ib.*): *Quia fecit mihi magna, qui potens est: gratiam prophetiae: Accessi ad prophetissam, et in utero concepti* (*Isa. 8. 3*). Insuper etiam habuit gratiam, seu donum linguarum, ut testatur d. Antoninus (*4 p. tit. 15. c. 19. § 8*): absque illo enim intelligere non potuisset regnum Magorum idioma, qui Christum adoraturi venerunt: habuit deinde gratiam miraculorum, quam etsi s. Thomas ei negaverit (*3. p. q. 27. art. ad 3*), explicandus est de publicis miraculis, imperatrive factis, aut per contactum: nam orante ipsa celebre illud miraculum factum est in Cana Galilaeae ex Filii eius omnipotentia ob tanta matris fidem et fiduciam, qua constans adeo et firma fuit, ut post audita illa verba, *Quid mihi et tibi mulier? quae quondam repulsa speciem praesefere videbantur, famulis confidenter diceret: Quodcumque dixerit vobis, facite*. Unde d. Basil. Seleuc. archiepiscopus *orat. de Verbi incarn. apud tom. 2. Biblio. Patrum*) expresse docet, b. virginem minime

caruisse dono faciendi miracula, sic enim ait: *Si Christus sercis suis tantam gratiam contulit, ut solo contactu, imo vero solo corporis umbra aegris praesidium afferre possent, nam, ut Actorum liber exponit, infirmi in plateas eiectioni, umbra tamen Petri contacti, liberati a morbis eadebant; non deerant quoque, qui linteo, quo Apostolus Paulus corporis sudorem extergerat accepto, infestos daemones profragant: qualem vim aduersus omne morborum genus Virgini matri collatam fuisse putandum est? an non multo maiorem, quam ceteris Christi imperio subiectis? res clara est. Ac tandem ut uno verbo multa complectar, reliquae omnes gratiae gratis datae, de quibus Apost. ubi supra, cum latissime fuerunt in Maria, Athanasio (*ser. de Deip.*) dicente: *Virginem omnibus gratis abundasse*: quod non obscure indicant verba eiusdem Virginis cum dixit (*Can. 7. 13*): *Omnia poma nova, et vetera dilecto mi servavi tibi*: si desideratis in ea cultum et religionem Abelis, ecce hic agnam pro hostia, Virgo vero seipsam obtulit; ille pecus gregis sui, haec agnum immaculatum fructum ventis sui, Agnum qui tollit peccata mundi obtulit Deo: vultis in ea perfectionem Noe navigatoris? ille quidem in arca lignea se pariter cum liberis indemmum servavit; haec inundante mundi diluvio, in arca illa divina, quam elevarunt aquae dolorum ad montem Calvariae, non oculo animas, ut Noe, sed universum orbem terrarum naufragantem liberavit: Noe cum de sua arca emisit columbam, misit etiam et corvum; haec autem non horridum nigredine corvum, sed speciosum prae filii hominum humana carne indutum elidit: desideratis in Virgine obedientiam patriarchae Abraham? hic obediuit voci Domini, ut mactaret illi filium; Virgo autem cogitata Dei voluntate de morte Filii sui, et vivum tradidit, et mortuum obtulit Deo. Abraham alium quidem filium habuit praeter Isaac; Maria autem unicum tantum genuit, cuius vices nullus in integrum supplere poterat. Ut tamen multa paucis comprehendam, si effulsit innocentia in Abel, orationis donum in Enoch, fiducia in Noe, fides in Abraham, obedientia in Isaac, longanimitas in Iacob, patientia in Iob, castitas in Ioseph, mansuetudo in Moysse, inimicorum dilectio in Davide, prudentia in Abigail, modestia in Ruth, pulchritudo in Rachele, virginitas in Sannitide, fecunditas in Lia, fortitudo in Iabele, generositas et magnanimitas in Iudith; haec omnia simul divina munificentia in b. Virginem contulit, adeo ut d. Bernardus (*ser. 4. sup. Subte Reg.*) non dubitaverit dicere: *Nihil est virtutis, quod ex te non resplendat, et quidquid singuli habuere sancti, tu sola possidisti*. Haec sunt poma vetera, quae dilecto suo servavit b. Virgo, virtutes scilicet veterum patrum. Poma vero nova, dotes clarissimae sunt, ac caelestia charismata, quibus novis testamenti cultores mirifice praefulerunt: angelica puritas Agnetis, fortitudo Apolloniae, constantia Agathae, sapientia Catharinae, modestia Caeciliae, zelus Ursulae, ac tandem apostolorum ardentissima charitas cum reliquis coelestibus donis ac privilegiis quibusvis aliis collatis, in b.*

Virginem instar fluminum aquae in vastissimum mare confluxere. Unde Angelicus doctor (*3. p. q. 27. art. 1*) inquit: *Rationabiliter credimus, quod illa, quae genuit Unigenitum, plenam gratiae et veritatis, prae omnibus aliis maiora privilegia gratiae accepit*. Ecce poma nova, quae Maria dilecto suo servabat. Utraque tamen tam vetera quam nova, quae de thesauro suo protulit, ut magis illustrentur, revocemus quaeso in memoriam historiam illam singularem, cuius meminit Plutarchus (*in Sympos.*). Refert potentissimum ac sapientissimum Amasium Aegypti regem, in convivio, quod fecit septem sapientibus, Nilosenum interrogasse, quanam rem inter omnes esset antiquior, communior, maior, sapientior, vilior, nocivior, fortior, tractabilior, pulchrior tandem, ac melior; ille respondit: tempus esse rem antiquiorem, mortem communior, mundum maiorem, veritatem sapientior, Deum utiliore, cuiuscumque malum genium, seu pravam inclinationem nocivior, fortunam fortior, tractabiliorem et suaviorem, pulchriorem tandem lucem solis. Insignis vero philosophus Bias hanc Niloseni responsum audiens variis modis laboravit: nam cum tempus, inquit, constat tribus partibus, praeterita, praesenti, et futura, res omnium antiquissima esse non potest: quod enim denno praesens, aut futurum est, omni antiquitate caret. Mors etiam non potest esse rebus omnibus communior, cum beatos non attingat, nec in spiritus immortales dominetur. Mundus item nequit esse maior, cum maior illo sit locus continens illum. Quare ipse aliter opinans asseruit, rem antiquiorem esse Deum; maiorem, locum mundum continentem; sapientior, tempus quod latentes veritates manifestat; communior, spem, cuius nullus status expers est; utilior, virtutem; nocivior, vitium; fortior, insuperabilem necessitatem; suaviorem cum natura conformitatem; pulchriorem, mundi machinam. Singuli etiam reliquorum sapientum, qui convivio adstant, varia propositae regis interrogationi responsa dederunt. Ego tamen aptius et rationi magis consentaneum responsum esse putarim, si interrogatus affirmarem, rem inter omnes creaturas antiquiorem, maiorem, sapientior, communior, nocivior, fortior, tractabiliorem, ac pulchriorem esse Deiparam Mariam: fuit enim antiquior (*Proc. 8*): *Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram*: fuit maior: *Trinam regentem machinam, claustrum Mariae baiulat* (*Ecl. 1*): fuit sapientior: *Collaudabunt multi sapientiam eius* (*Ecl. 39*): fuit communior: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me* (*Ecl. 24*): fuit utilior: *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa* (*Sap. 7*): fuit nocivior antiquo serpenti: *Ipsa conteret caput tuum* (*Gen. 3*): fuit fortior: *Mammam suam misit ad fortia* (*Proc. 8*): fuit tractabilior: *Spiritus meus super mel dulcis* (*Ecl. 24*): fuit pulchrior: *Pulchra ut luna, electa ut sol*: unde ubi nostra vulgata legit: *fundatur exultatione universae terrae, Card. Caietanus vertit: pulchra sponsa lactificans totam terram*: Isidorus clarus, elegans regio: *Vatibus, pulcher locus, et gaudium universae terrae, civitas regis magni, Pulchra*

sane civitas Maria, quia ipse fundavit eam Altissimus: ac propterea potiori iure, quam Tyrus, gloriaripotest dicens, quod illa: *perfecti decoris ego sum, et in corde maris sita*: in mari quidem, in quod, ut dixit d. Bonaventura (*in opus. Virg.*), omnia gratiarum flumina intrant, flumen intrat patriarcharum, flumen apostolorum, flumen martyrum, flumen virginum, et confessorum, flumen tandem omnium coelestium spirituum: ut quemadmodum celebris pictor Zeuxis, teste Plinio (*1. 35. c. 9*) Agrigentinis id postulanti, facturus pulcherrimum Iunonis effigiem, in celebri eius templo locandam, virgines quinque elegit, quas in exemplar, et prototypum sibi proposuit, ut quod in singulis esset laudatissimum, penicillo suo imilans, omnium illarum perfectiones in unam, et eandem deam Iunonem imagine referunderet: non dissimiliter Spiritus sanctus, peritissimus omnium pictor, volens b. Virginem variis virtutum perfectionibus, ac divinorum charismatum coloribus exornare, ac perpolire, non unius, aut alleris, sed omnium hominum, et angelorum perfectiones in eam cumulatissime effudit, ut non immerito d. Hieronymus (*serm. de Assumpt.*) dixerit: *Ceteris per partes praestatur, Mariae vero simul tota se infudit gratiae plenitudo*. Iureque optimo ego putaverim, Spiritum sanctum ingentem adeo curam in hac pulchra imagine perficienda adhibuisse, ut merito de illo dici possit, quod de Protegene insigni pictore alius illo magis peritus, ac celebris, Apelles, dixit: *Manum de tabula necesse tollere*. Haec coelestia numerat d. Epiphanius attente considerans, salutare cupiens intemeratam Virginem Deiparam Mariam in haec tam vera, quam dulcia verba prorupit: *Ave gratia plena, multis virtutibus exornata Virgo, in lampade gestans lucem inextinguibilem, sole splendidiorem. Ave gratia plena, gloriae spiritualis. Ave gratia plena, quae sitientes perennis fontis dulcedine satias. Ave gratia plena, mare spirituale, habens genium coelestem Christum. Ave gratia plena, splendendum coelum, quae in coelis incomprehensum continet Deum. Ave gratia plena, quae cherubicum thronum divinitatis fulgore superas. Ave gratia plena, quae coeli circulum habes, et Deum incomprehensum angusto potissimum loco in te ipsa contines. Ave gratia plena, nobis columnae similis, quae Deum habes, qui populum deducit per desertum. Quid dico? et quid proloquar? quo pacto beatam praedicabo gloriae radicem? solo enim Deo excepto, cunctis superior existit. Cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*